

non vocibus vestris intellectum vestrum mihi significaretis. Ergo quia intellexistis, fratres, videte quid sequitur, quare protegat Dominus et super manum dexteræ, id est, super ipsam fidem, in qua potestatem accepimus esse filios Dei, et esse ad dexteram; quare oportet ut protegat Dominus? Propter scandala. Unde sunt scandala? De duobus timenda sunt scandala, quia et duo sunt præcepta in quibus tota Lex pendet et Prophetæ, dilectio Dei et proximi<sup>1</sup>. Ecclesia propter proximum diligitur, Deus autem propter Deum. In Deo, intelligitur figurate dictus sol: in Ecclesia, intelligitur figurate dicta luna. Quisquis potest errare, ut aliud de Deo credat quam oportet, non credat Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius esse substantiæ, deceptus est versutia hæreticorum, maxime Arianorum (6). Si aliquid minus in Filio, aut minus in Spiritu sancto quam in Patre crediderit, passus est scandalum in Deo, a sole uritur. Quisquis rursus putaverit Ecclesiam in una parte esse, et non eam cognoverit diffusam toto orbe terrarum, et crediderit eis qui dicunt, « Ecce » hic est Christus, et ecce illic<sup>2</sup>, » sicut modo audistis cum Evangelium legeretur; cum ille totum orbem emerit, quia tantum pretium dedit: ille tanquam in proximo scandalizatur, a luna uritur. Quisquis ergo errat in ipsa substantia veritatis, a sole uritur, et per diem uritur: quia in ipsa sapientia errat, de qua dictum est, « Dies » diei eructat verbum: » unde dicit et Apostolus, « Spi- » ritualibus spiritualia comparantes. Dies diei eructat ver- » bum, spiritualibus spiritualia comparantes. Dies diei eruc- » tat verbum. Sapientiam loquimur inter perfectos<sup>3</sup>. » Quid est, « Et nox nocti annuntiat scientiam<sup>4</sup>? » Parvulis prædicatur humilitas Christi, et caro Christi, et crucifixio

<sup>1</sup> Matth. xxii, 37-40. — <sup>2</sup> Id. xxiv, 13. — <sup>3</sup> I Cor. ii, 13. — <sup>4</sup> Psal. xviii, 3-6.

Christi; quia ipsum est lac quod sufficit parvulis. Et ideo non relinquuntur in nocte parvuli, quia lucet et luna etiam in nocte; id est, per carnem Christi prædicatur Ecclesia, quia ipsa caro Christi caput Ecclesiæ est. Quisquis ibi non scandalizatur, in ipsa Ecclesia et carne Christi, a luna non uritur. Quisquis scandalizatus non fuerit in veritate illa incommutabili et incontaminabili, a sole non uritur: non isto sole non uritur, quem nobiscum vident muscæ et pecora; sed illo sole, de quo dicunt impii in fine, « Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactatio » quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam um- » bra. » Et cum ista dixissent, « Ergo, inquit, erra- » vimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, » et sol non ortus est nobis<sup>1</sup>. » Numquid non iste sol omnibus impiis oritur, illo instituyente, de quo dictum est, « Qui facit solem suum oriri super bonos et malos<sup>2</sup>? » Ergo alium solem fecit Deus, qui oritur super bonos et malos, istum quem vident et boni et mali: alius est autem ille sol, non factus, sed genitus, per quem facta sunt omnia, ubi est intelligentia incommutabilis veritatis. De ipso dicunt impii, « Et sol non ortus est nobis (7) » Quisquis in ipsa sapientia non errat, non uritur a sole. Quisquis in Ecclesia, et in carne Domini, et in his quæ pro nobis temporaliter gesta sunt, non errat, non uritur a luna. Omnis autem homo quamvis jam crediderit in Christum, aut ibi errat, aut ibi, si non in illo fit quod dictum est, « Dominus tegumentum tuum super manum dexteræ » tuæ. » Ideo enim cum dixisset: « Dominus tegumen- » tum tuum super manum dexteræ tuæ: » quasi quæsisset ille et dixisset, Jam ecce est manus dexteræ meæ, jam elegi credere in Christum, accepi potestatem inter filios Dei esse, quid est quod Deus tegumentum meum est ad-

<sup>1</sup> Sap. v, 6-9. — <sup>2</sup> Matth. v, 45.

huc supra, id est, « Super manum dexteræ meæ. » Sequitur, « Per diem sol non uret te, neque luna per noctem<sup>1</sup>. » Ad hoc igitur tegumentum tuum est super manum dexteræ tuæ, ut non te urat sol per diem, neque luna per noctem. Nam hinc intelligite, fratres, quia figurate dictum est. Etenim revera, solem visibilem si cogitemus, urit per diem: numquid luna urit per noctem? Sed quid est ustio? Scandalum. Audi Apostolum dicentem, « Quis » infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et » ego non uror?<sup>2</sup> »

XIII. « Per diem ergo sol non uret te, neque luna per » noctem. » Quare? Quia « Dominus custodiet te ab omni » malo<sup>3</sup>. » A scandalis in sole, a scandalis in luna, ab omni malo te custodiet, qui est tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ, qui non dormit, neque dormitabit. Et ad quam rem? Quia in tentationibus sumus: « Domi- » nus custodiet te ab omni malo. Custodiat animam tuam » Dominus. » Etiam ipsam animam. « Custodiat introitum » tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæcu- » lum. » Non quasi corpus tuum; nam in corpore pe- rempti sunt Martyres; sed « Custodiat animam tuam » Dominus<sup>4</sup>; » quia de anima non cesserunt Martyres. Et sæviebant persecutores in Crispinam<sup>5</sup>, cujus hodie natalitia celebramus, sæviebant in fœminam divitem et delicatam: sed fortis erat, quia Dominus tegumentum ejus super manum dexteræ ejus, ille qui eam custodiebat. Hanc enim, fratres, numquid est qui in Africa ignoret? Clarissima enim fuit, nobilis genere, abundans divitiis: sed hæc omnia sinistra erant, sub capite erant. Venit inimicus qui feriret caput, et sinistra illi objecta est, quæ erat sub capite. Caput supra erat, dextera desuper com-

<sup>1</sup> Psal. cxx, 6. — <sup>2</sup> 2 Cor. xi, 29. — <sup>3</sup> Psal. cxx, 7. — <sup>4</sup> Ibid. 8. — <sup>5</sup> Hæc sancta Crispina Tebentæ in Africa passa celebratur nonis decembris.

plectebatur. Quid poterat facere persecutor, quamvis delicatæ fœminæ? Erat quidem illa sexu infirma, et divitiis forte languidior, et consuetudine corporali infirmior: sed quid ad tanta munimenta? Quid ad illum sponsum mittentem sinistram sub caput, et dextera sua complectentem<sup>1</sup>? Quando sic munitam percuteret inimicus? Et tamen percussit, sed in corpus. Quid autem dicit Psalmus? « Custodiat animam tuam Dominus. » Anima non cessit, corpus percussum est. Et corpus ad tempus percussum est: nam in fine resurrecturum est. Quia et ipse qui dignatus est esse caput Ecclesiæ, præbuit corpus suum ad tempus percutiendum: sed carnem suam ille triduo resuscitavit, carnem nostram in fine resuscitaturus est. Ideo suscitatum est caput, quod attenderet corpus, ut non deficeret. « Custodiat animam tuam Dominus. » Ipsa non cedat, ipsa non frangatur scandalis, in persecutionibus, in tribulationibus, ipsa non cedat deficiendo: sicut Dominus dicit: « Nolite » timere eos qui corpus occidunt, animam autem non » possunt occidere: sed eum timete, qui habet potestatem corpus et animam occidere in gehenna ignis<sup>2</sup>. » Hanc ergo animam tuam custodiat Dominus, ne cedas persuasori malo, ne cedas promittenti falsa, ne cedas minanti temporalia, et « Custodiat animam tuam Dominus. »

XIV. Et deinde, « Custodiat Dominus introitum tuum » et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum<sup>3</sup>. » Nam introitum tuum ad tempus attende. « Custodiat Dominus introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc » et usque in sæculum. » Exitum idem custodiat. Quid est, « Introitum? » quid est, « Exitum? » Quando tentamur, intramus: quando vincimus tentationem, eximus. Audi, « Introitum; » audi, « Exitum. Vasa figuli probat

<sup>1</sup> Cant. ii, 6. — <sup>2</sup> Matth. x, 28 — <sup>3</sup> Psal. cxx, 8.